



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

XXXII. Vt patroni competentem portionem dimittant clericis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

XXXII.

Exirpandæ consuetudinis vitium in quibusdam partibus inoleuit, quod scilicet patroni ecclesiarum parochialium, & aliæ quædam personæ, prouentus ipsarum sibi penitus vendicantes, presbyteris earumdem seruitiis deputatis relinquunt adeo exiguum portionem, ut ex ea congrue nequeant sustentari. Nam, ut pro certo didicimus, in quibusdam regionibus parochiales presbyteri pro sua sustentatione non obtinent nisi quartam quartæ, id est sextamdecimam decimarum. Vnde fit ut in his regionibus pene nullus inueniatur sacerdos parochialis, qui vel modicam habeat peritiam literarum. Cum igitur os bouis alligari non debeat triturantis, sed qui altari seruit viuere debeat de altari, statuimus ut, consuetudine qualibet episcopi vel patroni seu cuiuscumque alterius non obstante, portio presbyteris ipsis sufficiens assigetur. Qui vero parochiale habet ecclesiam, non per vicarium, sed per seipsum illi deseruiat, in ordine quem ipsius ecclesiæ cura requirit, nisi forte præbendæ vel dignitati parochialis ecclesia sit annexa: in quo casu concedimus, ut is qui talem habet præbendam vel dignitatem, cum oporteat eum in maiori ecclesia deseruire, in ipsa parochiali ecclesia idoneum & perpetuum studeat habere vicarium canonice institutum, qui, ut prædictum est, congruentem habeat de ipsius ecclesiæ prouentibus portionem: alioquin illa se sciat huius decreti auctoritate priuatum, libere alii conferenda, qui velit & possit quod prædictum est adimple-

Aa iiij

re. Illud autem penitus interdicimus , ne quis in fraudem de prouentibus ecclesiae , quæ curam proprii sacerdotis debet habere , pensionem alii quasi pro beneficio conferre præsumat.

XXXIII.

Procurationes quæ visitationis ratione debentur episcopis , archidiaconis , vel quibuslibet aliis , etiam apostolicæ sedis legatis aut nuntiis , absque manifesta & necessaria causa nullatenus exigantur , nisi quando præsentialiter officium visitationis impendunt : & tunc euectionum & personarum mediocritatem obseruent in Lateranensi Concilio definitam . Hoc adhibito moderamine circa legatos & nuntios apostolicæ sedis , vt cum oportuerit eos apud aliquem locum moram facere necessariam , ne locus ille propter illos nimium aggraueatur , procurationes recipient moderatas ab aliis ecclesiis vel personis , quæ nondum fuerunt de suis procurationibus aggrauatae , ita quod numerus procurationum numerum dierum quibus huiusmodi moram fecerint non excedat , & cum aliqua non sufficerit per ipsam , duæ vel plures coniungantur in vnam .

Concilium
Lateranen-
se sub Ale-
xandro ter-
cio cap. 4.
Supra cap.
12.

Porro visitationis officium exercentes , non quærant quæ sua sunt , sed quæ Iesu Christi , prædicationi & exhortationi , correctioni & reformationi vacando , vt fructum referant qui non perit . Qui autem contrauenire præsumperit , & quod accepérat reddat ; & ecclesiæ , quam taliter aggrauat , tantumdem rependat .